



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118294**

§. 63. Regem Chinone adit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

Sæcul. XV. A.C. 1429. nitiones superavit, ibique propria manu vexillum suum erexit. Tunc Galli in jubilos, ac lætitiæ signa effusi, omni ex parte Anglos repellunt, ac tanta vi sternunt, ut illi postera die obsidionem solvere, ac cetera, quæ adhucdum tenebant, munimenta victoribus Gallis cedere compellerentur.

## §. LXIII.

*Puella Regem Chinone convenit.*

Virgo urbis Aurelianensis liberatione contenta, haud ultra hostem insequabatur, sed sub finem Maji Chinonem ad Regem revertebatur, gestorum nuncium delatura. Galli Heroinam suam ubique sequuntur, tanquam certam futuræ victoriæ prænunciam. Angli contra fuga undique dispersi, præ terrore illius nullibi subsistere ausi, Belgentiaco & Gergolio pelluntur, Bataji in Belsia cæduntur, ut mox dicemus, atque ex omnibus hujus regionis urbibus recedere coguntur.

Aurelia feliciter liberata, alterum supererat missionis suæ caput, nimirum ut Regem quoque Rhemos deduceret, sacro ibidem oleo unguendum. Urbs ista, omnisque circum circa Regio hostium potestati subjacebat; hinc Consilarii Regis, quamvis Virginem ob præclara facinora nuper Aureliæ edita haud parum veneren-

rarentur, hoc tamen illius consilium nimis Sæcul. XV.  
A.C. 1429.  
temerarium esse censebant; Angli enim non modo Rhemos, sed & Trecaſ, Catalaunum, cunctasque reliquas, per quas Regi eundem eſſet, urbes validiſſimis muniabant præſidiis, ac præterea copioſus exercitus ſtabat in caſtris. Nihilominus juvenis hæc Paſtoris filia viginti duntaxat annos nata cunctis hiſce obſtaculis ſuperior Regi pollicetur, quod eum ſalvum, & incolumem Rhemos deducere, ibique, ut ſacro oleo ungeretur, ſiſtere vellet, tantaque hoc ſuum promiſſum fiducia, ac verborum conſtantia aſſeverabat, optatumque eventum ſpondebat, ut etiam illi, qui paulo ante ceteris magis metu fracti videbantur, jam animum erigerent. Ex quibus Aurelianenſis Virginis nomen brevi per univerſum Orbem divulgabatur, geſtaque ejus heroica per ipſam famam identidem magis creſcebant. Galli autem omnes Deum pro Carolo VII. pugnare perſuaſi, quaſi ex lethargo, quo ſopiti erant, reſuſcitati undique ad arma convolabant.

## §. LXIV.

*Gergolium & Balgentiacum a Gallis recuperatum.*

Eodem tempore Gergoliana civitas a Virgine vi capta, & Balgentiacum obſi-